

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

Aliquot poblema ad IX. praec. decalogi pars secunda, de dolo, aequivocatione, mentali
restricitione.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Basseum in floribus theol. pract. in vide *mendacium* §. 6. Ex nostris *Martyr.* in *commentar. ad 1 Sam. 21.* excusare videtur, non tamen absolute & pemptoriè determinat, sed quasi in medio relinquit. Ego, quia non sola facta, & gestus Davidis, sed & verba minimè decora ad fictionem stultitiæ facientia, hic intercurrisse arbitror, malo in tutiorem partem inclinando, cum *Joh. Downamo cap. 4. §. 4.* Davidem in tantum excusare, non in totum.

V. Probl. *An stratagemata & molimina quæ scriptores politici nonnulli, & praxis fere communis plurimorum principum, aulicorum, ac ministrorum sive regis sive regni, nomine arcani aut simulacri politici velata adhibere solent, idque ut suis rebus studeant, seu propriis suis interesse (uti loquuntur), prætexendo tamen publicum regni, aut Reipublicæ, aut etiam ecclesiæ ac religionis bonum; à mendaciis, fraudibus, & malis artibus pio homine indignis, liberari possint?* Resp. Neg. Quia non sine fraudibus, simulationibus, mendaciis hæc sacra constant. Præcepta istius artis si quis nosse cupiat, legat Machiavellum, & politicos Machiavellicos; sin modulum & praxin, consulat Tacitum, historias de regione Caroli V. Philippi II. Regum Galliæ Henrici II. Caroli IX. imprimis *historiam Concilii Tridentini*, cum conclavibus seu electionibus, vitis, & epistolis Pontificum, ut Leonis 10. à Bembo nomine ejus scriptis, & Pii V. anno 1640. editis in 4. Adde epistolas Cardinalium, si quæ editæ sunt ab Alexandro 6. usque ad præsentem Alexandrum 7. : quales Ossati & Perroni gallicæ, Bentivoglii Ital. Sadoleti Lat. alterius generis sunt. Adde & Jovii vitas Leonis X. & Cardin. Pompei Columnæ; denique Stateram Cardinalium Ital. & Gall.

ALIQUOT PROBLEMATA

AD IX. PRÆC. DECALOGI

Pars secunda,

DE DOLO, ÆQUIVOCATIONE, MENTALI RESTRICTIONE.

Resp. HENRICO van RHENEN Ultrajectino 13. Octobris 1655.

S. 1.



Robl. 1. *An dolus aliquis sit licitus?* Resp. Vocabulo doli, inquit, Festus, nunc tantum in malis utimur: apud antiquos autem in bonis utebantur. Jureconsulti distinguunt dolum in bonum & malum. Illum dicunt esse solertiam: istum rationem vāstram, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.

Doli

Doli mali synonyma sunt *fraudatio*, *fraus*, *fallacia*, *offusca*, *deceptio*, *impostura*, *calliditas*; *callidum consilium*; *versutia*, *rasrities*. De circumventionem & astu, mox peculiariter disquiremus. *Culpa* sæpe idem dicit quod *dolus*, aliquando ab eo distinguitur; ut *culpa* imprudentiæ aut stultitiæ, *dolus malus* sceleri tribuitur. Processio doli mali sæpe est maleficium nominatum, ut *furtum*, *homicidium*, *periurium*; aliquando factum criminolum, quod speciali nomine non est significatum; ideoque dicitur *stellionatus*.

Species doli mali vulgò designantur, *calumnia*, *prævaricatio*, *tergiversatio*, *cavillatio*, de quibus infra agendum.

Effecta doli mali à J C Cis. numerantur. 1. *Infamia*, vel saltem quasi infamia apud bonos viros. 2. *Contractus* bonæ fidei vitiatio per dolum præcedentem. 3. *Privilegii* cujuscunque cessatio. 4. *Dammum* maximum, quo humanæ societati infertur.

In sacris literis vox Hebr. מרמה & רמיה & רמיה semper in malam partem accipitur; & sic Gr. δολος in N. T. & in versione Gr. V. T. ut & conjugata ejus δολος, δολότης, δολίος, &c. Et sic apud prophanos scriptores tum conjugata tum varia cum voce δολος composita accipiuntur. Notandum autem in investigandâ vocum significatione non tam spectandum unde desumtæ, quam ad quid significandum impositæ; nec quid cum primâ impositione primis illis usurpatoribus significaverint, aut illi per eas significare intenderint, quam quid communi usu loquentium & audientium nunc significant. Ex abundanti tamen addere possumus ipsas vocum notationes sonare in malum. Sic in etymologico magno bis Venetiis, & postremo Heidelbergæ à Sylburgio anno 1594. edito, hæc etyma adferuntur: δολος ἀπὸ τοῦ δόω τὸ δισμῶ, ὁ συνδῶν τὰς ἀλισκομένους ἢ & ἀπὸ τοῦ βλάπτω, &c. Quin & communi usu latinè loquentium tum olim (teste Festo) in ipsâ ἀμνη latinitatis, tum hodie in scholis & apud literatos, in malam partem accipitur, cum synonymis *fraudis*, *fallacia*, *impostura*, &c. ut & conjugata, *dolosè* *dolosus*. Idem dico de plerisque synonymis græcis, ut βαυκαλισμός, ἀπάτη, πλάνη, ψεύδος, σόφισμα, κρησφύγεον, id est, subterfugium, seu fuga sophistica, &c. *Augustinus tract. 7. in Johannem* :, *dolus*, inquit, *fraus est*, *simulatio est*: quando aliquis *aliud* in corde *tenet* & *aliud* loquitur: *dolus est* & tanquam duo corda habet; & omnis, qui verba latina intelligit, scit quia *dolus est* cum *aliud* agitur & *aliud* fingitur.

Videtur ergo sic determinandum: ut vocibus eorumque origine & acceptione posthabitis rem ipsam, ejusque definitionem spectemus, & quidquid veracitati, simplicitati, sinceritati, bonæ fidei, prudentiæ, & se-

cundum eam licitæ dissimulationi præced. sect. à nobis descriptæ adversatur, absolute condemnemus juxta *Psalm.* 55. v. 23. & 34. v. 13. *Rom.* 3. v. 13 & 1. 29. 2 *Corinth.* 12. v. 16. 1 *Petr.* 2. v. 1. , &c. Conferantur huc rationes contra mendacium, &c. æquivocationes, mentales reservationes, omnesque alias palliatorum mendaciorum artes. *Calvinus in controversiâ de Usuris*, ubi quæsitâ vocum ambiguitate determinatio obscurari solet, rectè monet commentar. ad *Ezechiel.* 18. v. 8. „ Hic autem memi-
 „ nerimus rem spectandam esse non verba. Nam ludunt homines suis ca-
 „ villis, sed Deus non admittit tales versutias, Itaque res, ut dixi, expendi
 „ debet, quia ex verbis non potest fieri iudicium, liceatne fœnerari inter-
 „ dum nec ne, ex. gr. nomen usuræ & apud latinos vitio caret & probro,
 „ est per se honestum: nomen fœnoris est, &c. Vide reliqua dignissima,
 „ & applica huic præsentî quæstioni.

Addimus tamen hanc determinationem nostram fieri in terminis & distinctè secundum communem phrasios acceptionem, non tantum in sacris literis (quod alioquin in quæstionibus theologicis sufficere posset), sed etiam apud philosophos morales veteres ac recentiores & classicos utriusque literaturæ autores, ut & literatos recentiores, & nationes Europæas vernaculo qualque suo ideomate loquentes. Adeo ut in regno veritatis & sinceritatis *pia fraudes*, (ita dictæ) h. e. mendacia specie officiosa; revera perniciosissima locum nullum invenire debent. Nec *πειστρία* *Ulpiani* circa criticam non-criticam vocis *doli* acceptionem (depromptam forte ex colloquio cum matre Evandri, ut cum *Agellio* loquar), & otiosam homonymi distinctionem, non rei ipsius divisionem, Caluistis quidquam præjudicare debet, & tenebras huic liquidæ secundum scripturas determinationi offundere, in quas dolosi se abducunt. Si enim categoriæ *doli*, *dolosi*, *dolose*, quæ apud infinitos scriptores Ethicos, historicos, theologos occurrunt, exceptionem *doli boni* & *mali* admittere coguntur pro arbitrio hominum qui mendacia amant & faciunt, quidni & *fraudis*, *fraudentiæ bonæ ac malæ*, *mendacii boni ac mali*, *imposituræ bonæ ac malæ*, &c. Certè *fraudi* equè aut magis congrueret hæc distinctio quam *dolo*: siquidem credendum *Cujacio* ad L. *Jurispergentium* S. *sed si fraudendi*, ff. *de pact.* dicenti: *Fraus damnum est, quod vel mala fides adversarii, vel ipse eventus rerum adfert.* Huc confer quæ de antiquâ acceptione *fraudis* pro *incommodo, periculo, damno* Jureconsulti *φιλολογῶσι*. Quod ad Jureconsultos, certè si ipsis, cum politicis & theologis, quæstio proponatur de *tyrannide* an sit honesta, laudanda, affectanda; an distinctio- nem adhibebunt *tyranni*, & *tyrannidis* in *bonam* & *malam*, quia scil. vox illa in primâ sui impositione, aut antiquissimo apud Græcos usu dominum

notavit, & neutra fuit. Quis non diceret eos nugari, aut moras non necessarias neectere, aut huic doctrinæ tenebras offundere, aut tyrannidi ac tyrannis videri velificari. Similis ratio est quæstionis propositæ de *dolo*, de *fraudibus*; ad quam Moralista aut Casuista responsurus, si distinguat, an non putabitur *κρησφύγῃ, σφά φάρμακα*, & latebras vitiis quærere? & docere cum *Lipso in Politicis* 4. c. 14. *deceptiunculas* h. e. *ἀπατηκίζειν προς ἐτέραν αἰσώπηκα* i. e., *vulpinari cum alia vulpe*. Faceffat ergo logomachia, & lusus ambiguus; aut distinctio (per nos licet) præmittatur quæstioni, quandoquidem homonymæ voces, si quas hic esse velint, ante factam distinctionem nihil significant. *Tholosanus* celebris & *πολυμάχης* J. C. lib. 21. *syntagm.* c. 13. ita fluctuat & *ἀκρίβειαν* in hujus rei explicatione prodit, ut ad operosas nugas meritò rejicienda videatur. „Doli, inquit, didio tam „græcis quam latinis communis est, & significat omne id quod simplex „non est. Sicuti *Aristophani in Pluto* ὁδός est contrarius ἄπλοῖς τέπποις. Et „in hâc generali appellatione, rectè dicitur dolus aliud facere, aliud simu- „lare se agere, &c. Deinceps allatâ distinctione doli in bonum & malum, „illum tuiturus sic loquitur: Estque supplantatio alterius & deceptio „plerumque, si in commodum facientis jure aliquo approbatum verta- „tur, jure divino non improbata; ut quando dolosè Jacob subripuit be- „nedictionem *Genes.* 27. *Hosea* 12. Et certè in hoc dolo verè dolus non „est: quia intentio non est malitia: consilium non capit, alterum ut de- „cipiat, sed consilium capit potius, ut sibi proffit. Hac scil. ratione ab intentione ἀπολόγως sumtà, quævis mendacia non tantum officiosa sed & proximo pernitiola, immo & multa alia peccata bonitatis titulo decorari possent. De Jacobi exemplo longè aliter ex analogiâ contextus & scripturæ statuunt theologi: ita ut nullam nobis faciat regulam, non magis quam quælibet alia peccata sanctorum. Postea subdit posse quem, *sed sine malitia & mediis* licitis, jus suum aut conditionem suam reddere meliorem. Rectè additur in Jure civili loc. cit. *mediis licitis & sine malitia*: hoc enim hic in quæstione est, itaque argumentum hinc nullum; sed mera petitio principii. Denique addit, dolum bonum probari ex 2 *Corinth.* 12. v. 16. & *Psal.* 18. v. 40. *supplantasti insurgentes in me*. Sed nihil absurdius dici potest: uti patet loca illa inspicientibus. Conferri etiam possunt commentatores.

11. *Probl. An astus aliquis licitus?* Resp. Cum dist. aff. quia si usum vocis spectes quamvis plerumque in malam, etiam in bonam partem accipitur; & sic de solertia ac prudentia tum in consiliis ineundis & concelandis, tum in stratagematis exequendis, usurpari puto. Sin insuper spectes originem, de eo minimè dubitandum. Dicitur enim *astus* secundum Fe-

Num à gr. ἄστυ, id est, oppido; in quo, qui conversati assidue sunt, cauti atque acuti esse videntur. Similis ratio est vocis conjugatę astutus, quam Festus explicat astu valentem.

III. *Probl. An aliqua circumventio sit licita? Resp. Aff. Jureconfulti; dicentes naturalem circumventionem non habere pœnam fraudis, ut si fiat à patre, præceptore, Magistratu ad emendationem. Videtur hæc quæstio ut & præcedens esse de nomine: alioquin sonat in malum. Quod si phrasi scripturæ 1 Thessal. 4. v. 6. ὑποβιβάζειν & πλεονεκτεῖν, utamur, non est licita. Breviter, si ultra simulationem, dissimulationem per solertiam & prudentiam supra à nobis determinatam assurgit, idem est quod dolus & fraus; & consequenter illicita. Inter antiquos Chrysost. homil. 6. ad Colossenses, & lib. 7. de sacerdotio, Basilii in Proverbia, Clemens Alexandrin. καλῶς ἀπατήσω καλῶς ἢ ἰπικνετῶ παρέρπων, dolos & fraudes, & alicubi ipsa mendacia admittere videntur. Sed aut catachresticè loquuntur, (quomodo meridies noctis, auriga carinæ, discors concordia dicitur) aut factorum & consiliorum solertiam intelligunt; aut facta & exempla sanctorum in scriptura tanquam leges accipiunt.*

IV. *Probl. An fallacia, & deceptio aliqua sit licita, quā quem in errorem adducimus. Resp. Ut dicta aut facta nostra sint causa per se directè errorem in alio produciens, Neg. Ut solummodo objecta occasio sint, & materialiter, irritamentum atque incitamentum ex intentione nostra, quo proximus abutens seipsum decipit & in errorem abducit, Aff. siquidem fiat circa rem licitam, & bono fine. Aliorum enim mala facta & consilia exemplo Dei disturbare, confundere, & avertere licet mediis non illicitis, uti supra probatum ex Josue 8. Actor. 23. Sic tamen ut dolum, simulationem & hypocrisin triplicem logicam, politicam, theologiam (quam accuratè explicatam dedit Johann. Prideaux conc. de hypocrisi) adhuc æquivocationum & mentalium restrictionum diabolicas offuscias procul habeamus.*

V. *Probl. Quid de facto Gibeonitarum Josue 9. statuendum? Resp. esse apertum & crassum mendacium, contra Testatum; qui vocat mendacium minimum & quasi nullius culpæ. Confer de eo Paræum in Exercitat. theol. lib. 2. S. 4. imprimis Serrarium ad cap. cit qu. 5. ubi acriter perstringit dissentientem Albericum Gentilem.*

De æquivocatione & mentali restrictione.

S. 2. **D**E æquivocatione & mentali restrictione queritur.

1. *Probl. An æquivocationis in vocibus, aut amphibologie in sententiis usus*

usus sit licitus? Resp. Quid sit equivocum, æquivocatio, amphibologia, ex elementis logicis notum est. Dicimus ergo.

1. *Concl.* Rhetoricè ejus usus licitus est in figura *Antanaclasi* & *ploce*, & in tropo *Ironiæ*: ad pungendum & delectandum. De quibus consulantur Rhetores. Nota est antanaclasis in illo vulgato epigrammate:

Quis neget Ænea natum de stirpe Neronem.

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Et in Epigrammate. Græc. *μὴ Δία εἰ με φίλος, πάνφιλε, μὴ με φίλει.* Et sic in sacris literis *Joh. 1. v. 10. Marci 8. v. 35.* eadem vox repetitur, sed significatione diversâ.

2. *Concl.* In disputationibus logicis, aliisque λόγῳ περιστροφῇ qui exercendorum & contra sophismata muniendorum ingeniorum causâ instituuntur. Neque enim illic tanquam veritas asseritur, sed ab ὀπponente aut quæsitore falsitas per modum examinis non per modum asseritionis proponitur, ut veritas eruatur; & de eo constat Respondenti atque auditoribus. Confer Logicorum disceptationes pro usu doctrinæ de elenchis sophisticis in Logicâ, contra Rami ostracismum.

3. *Concl.* Ad Rhetoricum & logicum usum refer honestos & liberales jocos ex ambiguo, aliaque acutè dicta ex ambiguo e. g. versiculum inter poemata *Bezae* pro epitaphio conscriptum cuidam: *Amplissimus vir hic jacet.* Compluria istius generis suppeditabunt libri apothegmatum, in bibliothecâ nostra indicati; & libri facetiarum *Frischlini*, *Bebelii*, &c. *Orho Melander in jocos seriis*; & praxis jocandi *Francofurti a. 1602.* edita.

Hoc tamen observandum ne nimis crebro, aut contumeliosè, aut insulsè, aut importunè captemus ejusmodi facetias, hoc enim gravitati, & σεμνότητι (Philip. 4. v. 8.) ἀκραιβεία ac prudentiæ (Ephes. 5. v. 15.) sale condito sermoni (Coloss. 4. v. 6. repugnat. Neque enim viri graves, præsertim Senatores, ecclesiarum pastores, ætate graves in ludiones, moriones, gnathones aulicos, aut in moriones scenicos, aut in Uylenspiegelios, aut parochos Calenbergicos & similes nugones & urbanos scurras se transformare debent: nec quisquam inter honestos, graves, & prudentes viros numerandus, qui jocos utitur tanquam ἰδιόγραμμα non tanquam ἡδύγραμμα. Cavendum etiam ne phrasibus, dictis, sententiis scripturæ admixtis aut huc translatis abutamur. Confer quæ monent Eihici de Urbanitate & gravitate, (instar multorum *Wendelinus lib. 1. cap. 19.*) varii scriptores de civilitate morum, seu civili conversatione ibid. à nobis indicati; imprimis quæ theologi ad 3. pecept. de abusu nominis Dei, & ad 9. præc. de regimine linguæ.

4. *Concl.* in dogmatis tum philosophicis tum imprimis theologicis; ubi

ferio agendum & semper ἡσίων πρὸς τὴν ἀλήθειαν, non licet aut æquivocatione seu amphibologiâ, aut aliis quibuscunque paralogismis & sophismatis uti; quæ faciunt ab obscurandam aut involvendam veritatem, & ingenia confundenda non juvanda. Confer 3. part. sel. disp. tit. de Ignorantia, & de errore.

5. *Concl.* Ethicè & Theologicè in testimonio dicendo, aut in locutione cum proximo nunquam ea adhibenda: ita ut circumstantiæ, aut verba declarationis causâ addita, aut gestus, aut usus phrasios, audientem de ironiâ, aut antanaclassi, aut liberali joco monere nequeat.

1. *Ratio est*: Quia est indirectum aut palliatum mendacium, adversus illud Ephes. 4. *Loquimini veritatem quisque cum proximo suo.* Debet enim testimonium & quæcunque locutio cum proximo consistere vocibus externè prolatis: atqui voces sunt signa rerum & conceptuum mentis, si ergo præter naturam & officium suum voces significant ex communi usu oppositum ejus quod mente concipitur; jam itur exsertè contra mentem & committitur formaliter mendacium.

2. *Ratio*, Quia condemnat scriptura loquentem pacem, & corde occultantem insidias Jerem. 9. v. 8. & ambulanti in πόρραι, &c. 1 Cor. 4. v. 2.

3. *Ratio*. Quia si in simplici, etiam in testimonio jurato liceret æquivocare; quod absurdum; est enim juramentum πῆγος omnis contradictionis, &c. Hebr. 6. v. 16. Atqui hoc non esset; si quidem æquivocationi locus sit. Nam responsio ambigua non convenit quæstioni sine ambiguo ex mente quærentis verbis communi usu hoc significantibus propositæ; cum quâ tamen convenire seu cui adaptari debet, juxta philosophum 2. de interpret. cap. 2. Atque hæ rationes contra novam artem æquivocandi in Papatu ex ovo Jesuitico exclusam. Quam didicisse videntur à Francisco Assisio, qui cum persequentes fugientem latronem ex ipso quærerent num istâc transisset, manu manicæ immissa negabat, istâc (per manicam scil.) transisse. Hanc artem apertè defendunt Jesuitæ Toletus lib. 4. *instruct. sacerdot.* cap. 21. Zivar. tom. de virtute & statu religionis tr. 4. l. 3. c. 10. 11. Lessius l. 2. de Justit. & Jure c. 47. dub. 6. S. 35. ubi alia loca citantur. Reginaldus in praxi fori penitentialis tom. 2. l. 24. c. 1. S. 4. Imman. Sa in Aphor. in voce juramentum & mendacium. Thom. Sanchez. l. 3. decal. c. 6. Azorius part. 3. l. 13. c. 3. Valentia ad 22. q. 110. Becanus in theol. schol. partis 2. parte 3. qu. 89. de juramento qu. 8. quamvis in Manuali lib. 5. cap. 21. subdole sententiam hanc incrustare & quodammodo occultare nitatur. Imprimis Eudemon Johannes in Apologiâ pro Garneto, qui ex professo & operosè hanc causam agit. Quibus omnibus addi debet Garnetus, qui

& praxi & apologia coram iudicibus artem hanc probavit : ut videre est in Actis contra proditores Anglicanos Latine per Camdenum editis ; & in Apologia Regis Jacobi pro juramento fidelitatis. Et hi omnes ex ordine Jesuitarum ; cum quibus faciunt *Navarrus* theologus & Canonista *cap. 12. Manualis*, §. 8. Idemque ad *cap. humana aures* qu. 2. §. 10. 11. 12. Ex Capucinis *Elig. Basseus* in *florib. theol. pract.* in voce *mendacium* §. 6. Ex dominicanis *Bannes* in 22. q. 62. art. 2. dub. 8. Et *Vincentius Candidus* in *disq. moralibus* *disq. 26. art. 3. dub. 1. Ant. Goffar.* theologus & protonotarius apostolicus in additionibus ad compendium Bonacinæ ad vocem *mendacium. Andr. Victorel. theol. in annot. ad aph. Immanuelis Sa*, ad voces *juramentum & mendacium. Binsfeldius* in *epit. part. 3. cap. 6. & 29. Martinus Funes* Theologus in *speculo morali part. 1. cap. 13.* non tam æquivocationem, quam apertum mendacium concedit in casu, cum quis contra juris ordinem interrogatur. Aliqui tamen ex pontificiis animose & aperte hanc artem oppugnant, vel in totum, vel saltem aliqua ex parte : quales *Barnesius* theol. *Benedictinus* in *dissert.* contra æquivocationem cum approbatione facultatis theologi Paris. *Sylvius* theologus *Duacenus* in additionibus ad *Binsfeldii* epitomen theologiæ pastoralis *part. 3. cap. 6. §. 3. Malderus* Episcopus Antwerpianus in tract. de restrictionum mentalium abusu. Anno 1629. *cap. 4.* Qui statuit *utentem mentali restrictione non absolvi à mendacio, nisi quando ipsa restrictio aliquo modo in dictis ejus exterius, ratione saltem circumstantiarum, aut ratione sensus, quo debebat interrogatio illa fieri, aut alio modo ex aliquo usu hominum, manifestatur.* Et hanc existimare se dicit, communem esse sententiam patrum & antiquorum scholasticorum. Aliqui etiam Casuistæ & moralistæ totum hoc prætereunt, ut *Molanus* in theologia practica, *Filijucius*. Alii tanquam probabile, aut quasi ex aliorum sententia primum affirmare videntur, & citant autores ex professo hanc artem defendentes ; postea tamen se satis produnt, quamvis ad odium declinandum primum tergiversati sint : ut *Marchantius* in *resolutionibus pastoralibus cap. 8. qu. 21.* Contra alii animos à crimine fumentes contendunt esse hanc communem theologorum & Canonistarum sententiam ; uti *Pesamius* ad 22. q. 70. art. 4. *disp. 1.* Et *Theoph. Rainaudus* integra disputatione de veritate, ubi à c. 14. ostendere conatur communem consensum Scholasticorum, Moralium theologorum, & Casuistarum seu Summistarum, Jurisperitorum, philosophorum moralium, uno excepto *Genesio Sepulveda* historico *Caroli V. magis in humanis (sunt verba ejus) quam divinis literis erudito.* Sententiam *Sepulveda* ex opusculo ejus de ratione reddendi testimonii, exhibet *Malderus* *cap. 4.* Horum sententiam haut obscure probat *Martinus Bresserus* *lib. 5. de conscientia, cap. 18. §. 170.* quod ad æquivo-

cationem; quamvis dissensum esse non neget quod ad mentalem restrictionem §. 171. ubi nominat *Cajetanum*, *Azorium*, *Malderum*, *Coninck*, *Layman*: Pro æquivocatione etiam stat glossa juris canonici ad cap. „ *Ne quis* „ 22. qu. ubi ait, eum in cujus domo aliquis latet, quem hostes persequuntur, posse respondere, non est hic, accipiendo (est) non ut venit „ *à sum*, sed ab *edo*. Et hoc dictum glossæ adoptant *Navarrus* & *Reginaldus loc. cit.* Idem cum *Angelo de Perusia*, & *Joh. de Anania* Francisci dictum (hac non transit) per suas sc. manicas, à mendacio excusant. Nostri contra artis hujus mysterium cum toto distinctionum choragio ad categoriam mendacii referunt. Vide inter alios *Casaub. epist. ad Frontonem Ducaum*, *Rob. Abotum in antilogia*, cap. 2. *Mazonum in nova arte mentiendi*, *Prideaux lect.* 10. *Rivetum in decalogum*, *Johannem Crocium in refut. Manualis Becani*, *Amesum in Casibus*, *Meisnerum in quæst. Ethicis & politicis*, *Gulielmum Douglas theologum Abredonensem in Vindiciis veritatis*, seu *dissert. theologicâ pro veritate*, &c. 1655.

111. Probl. *An nostri doceant, aut probent, aut ex præscripto religionis suæ artem hanc exerceant*; Resp. Hoc quidem subdole *Becanus in Manuali lib. 5. cap. 21.* incautis subicere velit, sparso hoc quasi sapiæ atramento, ut nefaria Jesuitarum disciplina tantisper oculis lectorum subduci possit, *Calvinistæ*, inquit strenuè utuntur hac arte, & quod ipsi faciunt nobis per calumniam impingunt. Postea negat à suis doceri æquivocationes; quia tantum, unus casus sit, de quo solet disputari, *An scil. reus quando in iudicio rogatur de crimine possit negare vel eludere*. Quæ sit sententia & praxis eorum, patet ex autoribus pontificiis modo allegatis. Quæ vero nostrorum constans sit sententia, disce ex nostris decalogi interpretibus, *Caluistis*, *Elencticis*, aliisque quorum aliquam partem nunc indicavimus, & in 3. part. *select. diss. tit. de theologia practica*. Verbum ergo non addam. Quid autem probationis tanto hiatu dignum fert *Becanus*. Certè, inquit, *Theodorus Beza in hac palestra fuit exercitatus. Is a. 1556. conscripsit confessionem, in quâ asseruit corpus Christi verè ac realiter esse præsens in cœna*, &c. Ergo concludit *Becane*, secundum lemma tuum capiti præmissum: *licet uti æquivocatione*, secundum doctrinam scil. *Calvinistarum*. De eâ enim queritur, & eam nostri Jesuitis impingunt. An tibi valet consequentia à factò, & quiden unico *Calvinistæ* alicujus, ad communem doctrinam; ita ut ab ea *æquivocatio* non amplius *Jesuitica*, sed *Calvinistica* (quod tu in fine hujus capituli facis) in posterum denominari debeat. Guttulam scientiæ & Conscientiæ hic desideramus. Quod autem scripsit *Beza*, alii-que reformati de reali præsentia & perceptione Christi in cœna, ubi verè fideles simul, non tamen similiter, & panem domini & panem dominum

realissimè, non tamen corporaliter & Capernaiticè accipiunt, jam toties à nostris declaratum est, ut tædeat vel verbum addere; & jam alibi *Becani* ludos sophisticos in *theol. scholast.* & in *Manuali* hac in parte deteximus, *disp. de Transubstantiatione*. Idem *Becanus* in libello de privilegiis Calvinistarum 7. tale facit: In doctrina sua defendenda possunt contrarias ac pugnantēs sententias sequi, cum lubet; & eandem nunc affirmare, mox negare. Et 10. Possunt igitur impunè mentiri & calumniari, suumque Evangelium hoc modo propagare, & Catholicam vitam ac doctrinam traducere. Hunc libellum privilegiorum denuo edidit anno 1612. & ejusdem defensionem subjecit sub ficto nomine *Simoniani Ristingindoni* ministri Britannii. Quà autem conscientia mendacia & calumniae his privilegiis firmandis à *Becano* & sociis colligi soleant, abundè ostensum est ab Antagonistis Papatus, in singulorum dogmatum explicationibus & vindiciis, & singulariter contra ipsum *Becanum* ab *Henrico Salcolbrigienſi* theologo Anglo in *Becano-baculo* 1611. edito.

IV. *Probl. An Remonstrantes merito fraudem, simulationem, & cothurnos obijciant determinationi & unanimi consensui ac subscriptioni Synodi Dordracenae, propter diversam explicationem objecti praeſtinationis, Apolog. fol. 16. b. & in libro vernaculo, cui tit. Nullitates synodi, &c. part. 1. cap. 8. pag. 71. Daniel Tilenus in notis & animadversionibus ad canones synodi, sub finem pag. 177. ubi inter alia vortices contradictionum, æquivocationum strophas ac praeſtigias, cothurnatum drama intonat. Resp. Neg Canones enim, conceptus ascendentes supra lapsum nec ponunt, nec tollunt, nec recipiunt nec rejiciunt, sed consultò prætereunt; nec tamen excludunt ut nec alias particulares hypothesēs ac conſectaria totius doctrinæ quinquarticulanae: uti modum hunc in communibus dogmatis ecclesiasticis conciliariter definiendis, in symbolis, confessionibus, catechesibus conscribendis communiter ferè observari notissimum est. Et hinc est quod absque ullà æquivocatione ac fraude, absque ullo etiam probatissimorum plerorumque theologorum, qui superiori sæculo (quod *saeculum reformationis* meritò appellatur) floruerunt, præjudicio, dicti canones sic conscribi; iisdemque synodales supra lapsum ascendentes, quorum aliqui à Remonstrantibus loc. c. notati, candidè subscribere potuerint. Qui enim infra lapsum subsistunt, sententiam altiore cum suâ conciliant, idem vicissim agunt altius ascendentes. Quæ ergo hic æquivocationes, quæ strophæ, quæ cothurnata dramata? Neque enim pugnant sive subordinata, sive per solidam distinctionem conciliata. Centuriæ sunt *ἐκκλησιαστικαὶ* in scripturâ: singulis tamen textibus sine fraudulentia, hypocrisis, & mala fide subscribimus: nec à scriptura dissentire, aut tanquam *Cadmæi* fratres mutuò di-*

visti aut in autoritatem scripturæ incurrere, aut in eam rebelles esse judicamur. Sed alibi de hac conciliatâ objecti prædestinationis explicatione agendum, & jam satis superque actum est ab aliis, etiam partem aliquam à me: ubi complures præstantissimi theol. ad partes adducuntur. Unicum hic addo testimonium & judicium, Clariss. scil. theolog. *Henr. Altingh*, nunc *in Angliæ*, qui Synodi Dardracenæ magna pars fuerat: Is ita in literis suis ad me 4. Id. Julii 1640. Ego ibidem *sententiam receptam* (infra lapsum scil.) *tuitus sum modestè: quin & conciliare cum alterâ perpetuo studui*. Et paulo post: *Nec dico sententiam illam, qua supra lapsum assurgit, examinatam, improbatam, damnatamve esse: nihil horum aut factum esse* (in Synodo scil. *Dordracena*) *aut fieri debuisse sentio*. Atque ita choturnata dramata, æquivocationes, simulationes, fraudes, à conscriptione & subscriptione canonum procul remota arbitramur. Remonstrantium doctrinam & praxin ab artibus illis, quas nostris impingunt, immunes non esse, breviter indicasse me puto in vernacula catechizatione catechismi Remonstr. ad qu. 66.

- S. 3. v. Probl. *An mentali reservatione, seu restrictione, seu secreta interpretatione nobis reservata, uti liceat in testimoniis, aut in sermonibus cum proximo?*
 Resp. Mentalis reservatio cum æquivocatione genericè convenit: specie distinguitur ab eâ; ut *Æquivocatio sit*, quando quis utitur propositione equivoca vel amphibologica; cujus verba secundum se admittunt duplicem sensum, eumque vel utrumque æquè, aut ferè æque usitatum: vel unum usitatum communiter, alterum vero rarius. *Mentalis restrictio sit*, cum verba non admittunt verum vel plenum sensum, nisi cum additamento mente suppresso, ex. gr. promittit aut jurat quis se *daturum centum aureos*, & intra se dicit, *si libuerit mihi*; & sic non teneretur. Aut, respondet quis *se non fecisse*, quod fecit, sed in mente cogitat & subintelligit, *ut tibi dicam*. Aut, negat sacerdos *se esse sacerdotem*, & in mente cogitat atque addit, *Isidis aut Apollinis*, ut sacerdos illa apud *Robertum Abotum cap. 2. antilogie p. 12.* qui idem jurabat se trans mare non fuisse, scil. *Indicum*. Aut negat se hoc vel illud fecisse, quod tamen fecit; sed subintelligit, *tempore belli Trojani*, aut simile quid.

Ad determinandam hanc quæstionem sit.

1. *Concl.* Veritatem aliquam aut in totum aut ex parte, positis scil. ponendis, occultare & intus mente premere non est illicitum.
2. *Concl.* Nec obscurius mentem suam aperire, aut rem aliquam declarare.
3. *Concl.* Licitæ sunt subintellectæ limitationes seu restrictiones logicæ; quæ quamvis compendii causa expressæ non sint, ab auditore tamen ex

antecedentibus, consequentibus, circumstantiis facile colligi possunt aut debent. Utenim implicite conditionales sunt propositiones, ubi conditio non expressa est (c. gr. *Jes. 38. v. 1. Jona 3. v. 4. 1 Corin. 6. v. 9. 10.*) sic etiam sunt restrictæ propositiones, sed ubi formula restrictiva disertis verbis non exprimitur. Videantur exempla quamplurima, quæ in conciliatoribus juridicis, philosophicis, scripturariis occurrunt. Cum ergo ejusmodi propositiones absolute, abstracte, atque à corpore & analogia contextus & fidei avulse absque subintellecta restrictione accipiuntur, error & fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter perperam intelligenti, non vero loquenti, imputatur.

4. *Concl.* Mentalis reservatio modo descripta & exemplis declarata conjuncta cum propositione cujus verba nullum sensum, nisi falsum, significant, non liberat loquentem à mendacio, ideoque absolute est illicita, & intrinsece mala; sicuti omne mendacium, sive indirectum sive apertum sive opertum seu involutum, & palliatum, sive crassum sive subtile. Ratio est: Quia sermo est ad alium; cogitatio interna non est: non potest ergo verbum mentis internum, cum verbo externè prolato in unam propositionem compingi, quod ad proximum nostrum, qui non est *καρδιογράφος*; per consequens non potest propositio externè prolata, ex. gr. *ego non sum sacerdos, ego non feci, &c.* ex falsa reddi vera, aut liberari à mendacio. Adde quod tum nulla esset veritas, nullum veritatis testimonium, nulla fides in rebus humanis, in contractibus, &c. Quidquid excipiant, limitent, distinguant inter judicem competentem & non competentem, inter juridicè quærentem, & non juridicè quærentem, &c. Hac difficultate absteriti *Cajetanus ad 22. qu. 89. art. 7. Azorius part. 1. lib. 11. cap. 4. qu. 5. Malderus tract. cit. c. 4. & 10. Coninck de actibus supernatur. disp. 10. concl. 3. Laiman lib. 3. tract. 3. cap. 13. S. 7.* in partem negantem determinarunt; faciente *Bressero lib. 5. de conscientia cap. 18.* Qui tamen oppositam sententiam multò communiozem esse dicit, & sequitur; insuper addit ex *Pesantiio & Rainaudo*, eam esse communem omnium theologorum, Canonistarum, Casuistarum, &c. Tandem emollit duram & odiosam hanc inter suos litem, dicendo pag. 537. a. duas illas sententias practice nihil, speculative parum differre. Et p. 538. a. Quod ad praxin & conversationem externam nil referre. Ingenue sane pro Jesuita; longè aliter ac *Becanus* qui in *Manuali* loc. cit. praxin Calvinistis tribuit, speculatione ad unicum casum & quidem controversum contracta. Defensionem communis hujus sententiæ vide potissimum apud *Eudem. Joh. in apologia Garneti*: quem excepit *Rob. Arbutus in antilogia*. Ante eum hanc causam egerat *Thomas Mortonus c. Parsonium*; post eum *Joh. Prideaux lect. 10.* Deinde *Ame-*

sius, & *Rivet* *loc. cit.* *Meisnerus* in *quæst. Ethicis & Politic. sect. 1. cap. 7. qu. 1.* qui suo tempore, si ita visum, consuli poterunt. Ex pontificiis restrictionibus oppugnant *Malderus* & *Barnesius*; qui posterior pro se adducit *Gerfonem*, *Sepulvedam*, *Dominicum à Soto*, aliosque. Excusare eam potius videntur, quam defendere ex Jesuitis *Maldonatus*, *Vasquez*, *Valentia*, *Becannus*; qui postremus artem hanc à Jesuitis suis amoliri conatur in *append. ad disp. de Fide servanda*. Contra aperte eam docent *Zwarez*, *Toletus*, *Navarrus*, *Marullus Spalatensis*, *Eudemon Johannes*; *Garnetus* & *Blackwellus Archiepresbyter* (de quorum libro in Anglia edito, *Rob. Abotus* p. 13. *Actio proditoria* p. 34. *Hospinianus* in *histor. Jesuit. fol. 228.*), *Thomas Sanchez*, *Ferdinandes*, &c.

VI. *Probl. An pontificiis, præsertim Clericis, sive in iuramento fidelitatis præstando, sive in dandis testimoniis in causa aut lite inter Papatum aut Papistam quem, & inter reformatam ecclesiam aut reformatum quem, turò fides adhiberi possit; siquidem illi prævia protestatione aut iuramento assument, se absque omni æquivocatione & mentali restrictione juraturos aut testaturos?*
Resp. Neg. Quia qui nefariæ illi perfidiæ & fraudi, idque ex vi & ductu religionis & conscientiæ suæ, semel se tradiderunt, non magis certos & securos nos reddent de seposita aut seponenda hic & nunc arte æquivocatione & ejuratione præambula; quam in ipso iuramento fidelitatis, aut fide datâ in conventionibus, & contractibus, aut in dicendo testimonio. Memorabile exemplum refert *Rob. Abotus* in *antilogia cap. 2. p. 12. Johannis Comai* sacerdotis, qui anno 1609. examinatus & requisitus ut responsionem scripto complecteretur, in dictâ responsione hanc præmittebat juratam protestationem: „Quidquid nunc affirmo ex fide hominis Christiani, absque omni æquivocatione vel mentali reservatione, vel secreta „interpretatione mihi servata, & affirmo secundum planam sententiam „verborum à me dictorum, ita me Deus adjuvet per Jesum Christum. Ibi tamen sub iuramento cum negasset, se vocatum aut in Anglia aut ultra mare *Scammelum*, se accepisse ordines sacerdotii, vota iniisse secundum regulas Societatis Jesu, &c.; postea tamen liberè affirmavit se familiari nomine vocatum *Scammelum*, seque esse sacerdotem, &c. Adde, quod facile omnes protestationes salvare possent hoc effugio: Tunc illo aut illo loco, aut illo rerum statu sic sentiebam, ita loquebar, vel potius tunc & ibi sentiebam sic sentiendum & dicendum esse: juxta fidem temporariam & cothurnatam Jesuitarum, qui in Gallia anno 1626. rigide approbabant, & manuum suarum subscriptione confirmabant placita Sorbonæ & Cleri Gallicani de independente potestate regum contra prætensam potestatem Papæ; atque unâ Jesuitæ *Santarelli* librum pro Papæ temporali po-

potestate scriptum condemnabant : nec minus coram supremo Senatu Parisiensi declarabant : *Si Rome essent, mutandum ipsis cum cælo animum, & sensuros ut Rome.* En cumulum perfidiæ & impietatis. Historiam hanc discriptam habes apud Gramundum, præsidem Tholosanum lib. 1. 5. *historiar. in fine. p. 678.*

VII. *Probl. An & quomodo Clerici & Laici Papales possint esse boni cives in politiis reformatis. Resp. De hoc abunde egimus in 2. part. selectar. dissert. tit. An sedes Romana compatibilis sit cum politiis reformatis.*

* *Appendix affinium quarundam questionum anno 1666.*

I. **Q**uest. *An proditio sit licita ? Resp. Vox proditionis & proditoris in malam partem semper aut plerumque accipitur, apud probatos auctores : etiam in scripturâ, ubi ~~peccatores~~ proditores improbantur 2 Timoth. 3. v. 4. & Matth. 10. v. 4. Definatur ergo proditio nominaliter & realiter.*

Prodere notare potest *patefacere, fallere, tradere.* Est ergo proditio vitiosa, actio, quâ dolo per indebitam patefactionem, seu traditionem proximi aut res eorum læduntur.

Sunt ergo diversæ species proditionis. 1. *cum* quis proximi crimina dolo malo patefacit. 2. *cum* quis arcana actionum, studiorum, consiliorum, intentionum proximi sive privata sive publica (quæ ipsi sub fide silentii communicata sunt, aut quocunque alio modo innotuerunt) aut hosti malè erga Rempublicam & proximum affecto ; aut omnibus promiscuè sive vivæ vocis præconio sive scripto, in præjudicium proximi, revelat. 3. *cum* quis proximum aut res ejus, quem & quas tueri debebat, tradit alienis aut hostibus.

Primæ proditionis iniquitatem ostendit dictum Augustini, Juri canonico 2. qu. 1. cap. *si peccaverit* : „ Fratrem cujus peccati conscius es, clam arguito : nam si coram hominibus id feceris, jam non eris peccati corrector, sed proditor. *Item*, Qui alium circumvenit, & in discrimen adducit, is eum prodit.

Secundæ iniquitas in eo est, quod quis fidem de silentio servando, &c. explicitè aut implicitè datam violat, atque una jura amicitiae aut benevolentiae aut fidelitatis atque officiositatis : dum proximi, aut Reipublicæ damno occulta revelat. Huc referri potest, Proverb. 30. v. 10. *Ne deferas servum apud Dominum suum.*

Tertiæ iniquitas est, quod malevolis, aut hostibus & persecutoribus proximum tradit occidendum, aut in captivitatem, aut servitutem abducendum,

aut quocunque alio modo vexandum, quem potius defendere debebat: Quod καὶ ἐξοχλῶ intelligendum de parentibus, liberis, domesticis, cognatis, concivibus, peregrinis, exulibus, persecutionem patientibus, &c. Applica huc textum Deuter. 23. v. 15. 16. *Non trades servum Domino eius, qui confugit ad te à Domino suo. Tecum manebit in medio tui, &c. non vim inferes ei.*

Inter proditores qui res proximi tradunt; sunt illi, qui regiones, civitates, arces, hostibus tradunt: de quo in *Jure canonico* 22. qu. 5. cap. de formâ.

Specialiter nomine *traditorum*, notati fuerunt, qui olim in persecutione Diocletiani scripturæ codices præ metu Magistratibus tradebant comburendos. De quibus in Baronii annalibus ad ann. 302. §. 3.

Proditores veritatis dicuntur *Chrysostomo* homil. 25. in *Matheum*, non tantum illi qui mendacium dicunt; sed etiam illi qui eam minus liberè profitentur. *Hieronymus* in *Jure Canonico* 24. qu. 3. c. *transferunt*, proditorum nomen maximè falsis prophetis & malis pastoribus ait congruere, qui falsis doctrinis & malis exemplis oves Christi suæ fidei commissas perdunt, quas tueri debebant.

Omnia proditionum genera quis commemoret? cum proditorum plena sint omnia; in foro, in compitis, in aulâ, in caulâ, in familiâ, in collegiis, in ipsâ denique ecclesiâ: ita ut Apostolus de falsis fratribus, de exploratoribus & insidiatoribus conqueri debuerit, ecclesias de iis præmonere, atque optare ut absunderentur; & Michas cap. 7. v. 5. cautelam hanc Israelitis suis inculcare: *Ne credatis amico, & ne uxores fidatis marito. Ab uxore qua dormis in sinu tuo custodi ostia oris tui. Quia, &c. Math. 10. v. 36. & inimici hominis, domestici ejus.* Jam vero proditionem esse peccatum, & quidem grave,

Prob. I. Ex scripturæ testimoniis, 2 *Timoth. 3. v. 4. Matth. 18. v. 21. & 24. v. 10. & 26. v. 15. cum Luc. 6. v. 16. & 22. v. 4. 6. 22. 48. Mich. 7. v. 5. 6. 7. cum v. 2. & seqq. Perit misericors de terrâ, & rectus inter homines non est. Universi sanguini insidiantur, unusquisque fratrem suum venatur reti, &c. Optimus eorum est ut paliurus, rectas eorum asperior materiâ spinarum, &c. Jesa. 16. v. 3. mandatur Moabo ut abscondat expulsos (Judæos scil.) & fugientem ne prodatur. Et quia hoc non fecerat, plagæ illi denuntiantur v. 7. 8.*

II. Ex vitiis simulationis, doli, perfidiæ, injustitiæ, ingratitude, imposturæ seu deceptionis, ad hoc peccatum concurrentibus. Rationes ergo contra illa vitia militantes, huc advocandæ.

III. Ex particularibus judiciis Dei in proditores, sive immediatè sive mediatè per homines (sæpe per illos, quibus proditione suâ inservierunt) immixtis. Exempla non pauca collegit *Philippus Camerarius* centur. 1. horar. subcesiv. cap. 7. & centur. 2. cap. 60. 61.

IV. Ex odio & detestatione quod incurrunt proditores; non tantum apud bonos,

bonos, sed & quosvis homines; etiam eos, qui operâ proditorum usi sunt. Dicta consilia, factâ eorum exhibita vide à *Camerario loc. cit.* aliqua etiam à *Martyre class. 4. locor. comm. cap. 16. de subtit. de proditione.* Qui sententiam Augusti (*πεδοσίαι φίλῳ προδοῦναι δ' οὐκ ἐπιεικὴ*, id est, *prodicionem amare, proditores vero non laudo*) negat esse veram aut prudentem; nam, inquit, si quam sapientes actionem probent atque laudent, ejus quoque autorem laudare ac probare debent. Sed forte Augustus, non tam ipsam prodicionem amavit, quam usum ejus. Peccati malum nullo modo est desiderabile: sed consequens, aut effectus ejusdem, seu usus potius actionis cum peccato conjuncte, potest esse desiderabilis; modo sit in ac pro bonâ causâ, & bono fine. Deus peccati autor non est, sed ordinator; & utitur peccato quâ in bonum ordinabili, è tenebris lucem educens: ut hoc distinctè docuimus in *1. part. select. dissp. tit. de peccati usibus per accidens.* Similiter homines quodammodo dici possunt, peccato, seu actione vitiosâ aliorum uti in bonum.

II. *Quest. An in foro poli licitum sit proditione & proditoribus uti? Resp.* Intrinsecè usus proditoris & prodicionis tam malus non est, ut nullo in casu honestari possit. Communitè scriptores itelitici, & de Re militari usum proditorum commendant. Videatur inter alios *Adamus Contzen theologus lib. 10. politica cap. 52.*

Sed queritur, an quis etiam iusto in bello, civem alienæ Reipublicæ, cui juramento fidelitatis, non tantum communi civico, sed insuper peculiari tanquam munerarius sive politicus sive militaris, obstrictus est, ad prodicionem & perfidiam suasionibus ac promissis sollicitare possit? Nos non videmus in foro conscientiz hoc licitum esse. Si enim perfidia & proditio illa sit peccatum, quomodo immunis erit à peccato, qui consilio, petitione, suasionem ad peccatum illud inducit? Si quis operam suam offerat, quamvis non sine peccato ab illo hoc præstandum novimus, licet admittere, eoque in bono, ad bonum, & bene uti. Forte quis excipiat.

1. *Except.* Petit & suadet actum, non vitiositatem aut *absolutam* actui illi adhærentem: e. gr. petit, ut nocte portam aperiat, aut in statione constitutus hostibus armatis liberam invasionem concedat, immo iis viam commonstret & ductorem se præbeat. *Resp.* Atqui mera est perfidia, perdere eos, quos custodire & defendere debes. Portam civitatis aperire in se est adiaphorum: sed in singulari portam hic & nunc hostibus ad invasionem civitatis aperiri ab illo, qui ejus custodiam & defensionem juratus promiserat, non est adiaphorum. Distingui quidem potest mentali abstractione actus substratus peccato, ab *exteriori* strictè sic dicta, sed separari non potest.

Instantia 1. Atqui petimus fœdus, aut aliam quam conventionem, juramento confirmari ab eo, quem scimus per falsos Deos, aut canonizatos sanctos juraturum? *Resp.* petimus juramentum, ut *πεντας πῆχους ἀντιλογίας πρὸς βοβούωτιν* Heb. 6. v. 10. non petimus nec cuiquam autores sumus, ut per falsos Deos, aut per sanctos juret: sed tantum ut debito juramento veritatem, fidem, & promissionem suam confirmet. Quod autem ille vero Deo Deafros aut sanctos adjungit, per quos juret; id respectu nostri est per accidens; qui illud permittimus aut toleramus, quod tollere aut impedire non possumus: siquidem jurans potestati & imperio nostro non subest.

Except. 2. Exempla proditio-
Jos. 2. cum *Jacob. 2. v. 25.* *Jaël Judic. 4. v. 17.* & seqq. cum *3. v. 24.* civis *Luzitæ Judic. 1. v. 24. 25.* De *Rachab* certum est eam fide divinâ occultasse & servasse exploratores: ideoque ipsius cooperationem ad tradendam *Jericho* *Israelitis*, non fuisse proditionem à nobis supra descriptam; sed traditionem per justam & legitimam restitutionem. Suum enim cuique tribuendum; ergo & *Israelitis* civitas *Jericho*, quæ erat ipsorum per donationem divinam. Quod autem bono illi operi traditionis admixtum fuerit mendacium *Josue 2. v. 4. 6.* id est per accidens & improbandum; nec tamen tollit bonum ex fide profectum: non magis quam mendacium obstetricum bonum ipsarum *Exod. 1.* *Jaël* an jure occidere potuerit *Sisera*, disquirendum esset: quia quod ad partes illas contententes, erat ipsa neutralis. Sed hoc transeat. Quod *Sisera* ad ingressum & saluum latibulum invitaverit illudque ei obtulerit, & non obscure promiserit *Judic. 4. v. 18-21.* intentionem tamen habuerit ipsum fallendi, & perdendi: non video quomodo ab omni proditione & perfidiâ purgari possit? Civis ille *Luzzita Judic. 1. v. 24. 25.* quibusdam à proditione liberari videtur, quod *Israelitæ*, in quorum potestate erat, minis & præsentī morte intentatâ, eum coegerint. Sed hoc non sufficit, ad purgationem à proditione. Si fide simili ac *Rahab*, cooperatus sit ad civitatis suæ occupationem, hoc ad purgationem sufficit.

III. Quæst. An aliorum scripta aut epistolas ad amicum aut ab amico scriptas intercipere, retinere, aperire, aliis, immo amulis, & adversariis aut in epistolâ illâ notatis, tradere, easdem typis, vivente aut defuncto scriptore, divulgare liceat? *Resp.* Quæ & quomodo hæc sapiant, aut non sapiant proditionem, sigillatim hic non determinabimus. Nulla aliorum scripta aut epistolæ esse lustranda, intercipienda, retinenda, publicanda, non est dicendum. Aliquando ad necessariam bonæ causæ & sui defensionem, atque hostium, malevolorum, calumniatorum confusionem; aliorum oculis exponenda, immo & typis divulganda sunt scripta & acta, si quæ in manus nostras inciderunt. Exempla superioribus sæculis passim data sunt; & in

Belgio nostro editione scriptorum & actorum Johannis Austriaci per Ill. Belgii Ordines procuratâ anno 1577. Antwerpię tit. *Sommier discours des iustes causes & raisons*, &c.; & editione epistolę Philippi II. propriâ manu scriptę ad celsiss. Principem Arausoniensem Wilhelmum I. subiectę celsiss. Principis apologię; & in Germaniâ editione Cancellarię Hispanicę anno 1632. Ubi pręverant & sereniss. Bohemię Regi, Electori Palatino Friderico V. ac confœderatis Principibus necessitatem editionis impo- fuerant pars adversa, editione *Cancellarię Anhaltinę*. Exemplâ privatorum, non est quod indicem. Qui multas apologias, & scripta polemica literato- rum inspexerit, facile exempla deprehendet. Ut epistolę ab amico ad a- micum scriptę de rebus & negotiis, privatis, intensissimâ hosti scriptoris ab amico illo, cui inscriptę sunt, tradantur; neminem arbitror probaturum, nisi perfidię & proditiōis magistrum. Multo minus probari posset, si epi- stola ab amico ad amicum scripta, aut ejusdem apographum, hosti scripto- ris, & per illum alteri alicui viro irritabili tradatur, de quo scripturientem (uti per literas amico hoc significarat) amicum contra virum illum irritabi- lem, amicus fideliter monuerat, ut prudenter & caute ageret. Causaubo- nus in epistolâ ad Lingelshemium (quę est 702.) „sic conqueritur de edi- „tâ parte epistolę suę: Quin igitur, inquit Therstę istius (*Caspari Scioppii*) „maledicentiam, Dei virtute, possumus jure contemnere; *insignitam inju- „riam* (nota) quam fecit nobis, tacere non possumus nec debemus. Na- „ctus enim epistolam quam ad magnum Scaligerum pro mutuâ conjun- „ctione nostrâ aliquando scripsimus, prostituti pudoris nebulo *nobis incon- „sultis partem illius edidit*. Non cogitavit Alastor epistolam alienam *proferre „se non posse quin furti manifesti & quidem turpissimi reum sese ipse perageret*. „Nam unde habet? quis illi dedit? Aut quid furtum est aliud, nisi alienę rei „invito domino tractatio., &c. Literę ad familiares scriptę juris publici „non sunt; privati juris, privatę possessionis sunt. Quid dixisset Casaubo- nus, de epistolis ab amico, ad quem scriptę, intensissimâ scriptoris adver- sario traditis, aut exhibitis: quibus consilia contra insidias & vexationes quorundam à traditore petita suggerebantur.

Melanthon in consiliis *part. 2.* graviter conqueritur de editâ epistola quâdam commentitiâ, tanquam à se ad Teupolum scriptâ. *Quid prodest*, inquit, *talia in vulgus spargi?* Intelligit verba quędam sua ante annos 26. dicta Teupolo legato Veneto, ab aliis quoquo modo annotata. De dictis suis sic ibidem loquitur: *Quâdam communia ad nos excusandos dixi, nec memini omnia verba. Non enim me, tunc existimavi post annos sex & viginti coram deo fore.*

Supra retuli epistolam tanquam à celsiss. principe Arausonienfi Wilhel- mo I. ad ducem Alenconium scriptam, ab Hispanica parte typis evulga-
 O o o o tam

tam fuisse, ad odium celsiss. Principi & causæ Belgarum constandum: quæ tamen nunquam ab illo scripta, aut scribi iussa, aut missa erat: uti ipse protestatur in responsione ad illam epistolam, apologiæ ejusdem latinæ, apud Carolum Sylvium Ordd. Hollandiæ typographum 1581. editæ in 8. subjectâ.

Gerardus Joh. Vossius in præfat. ad libros tres de historicis Latinis satis innuit quam nulli bono edantur aliquando epistolæ jam defunctorum. Certè nisi delectus edendarum in edendis adhibeatur, & nonnulla præsertim in familiaribus omittantur: multarum dividiarum, sinistrarum suspicionum, & nepotibus mandatarum contentionum causæ sunt.

Alioquin, quam maximè epistolarum, actorum, consiliorum lectionem probo, eamque aliis semper concedo: quod ex illis historiam temporum, multarum rerum accuratam cognitionem, multorum casuum explicationem, & prudentiam tum ecclesiasticam tum politicam optimè acquiramus. Libet hic adscribere verba *Lutheri in sermonibus mensalibus* ab Henrico Petro Rebenstock ministro Eischerheymsensi editis anno 1571. tom. 1. pag. 79. „Libellus publicè excusus à comitiis Mart. Lutheri mittebatur, „in quo truculenta historia, & *varia litera* sanguinis plenæ descriptæ fuerunt; quo libro lecto Mart. Lutherus admirabundus dixit: Miraculum „Dei est, qui hæc literas ita servavit, *ut in publicum ederentur*, quibus „Papistarum sanguinolentiæ & truculentæ devotiones manifestantur, & „tanta mendacia contra sanam doctrinam conficta evulgantur: Deo sit „laus, qui pro suis vigilat dormientibus, illorum autem cursum remoratur „& impedit.

Ex Justinii Justinopolitani (hoc est *Philippi Camerarii*) secretis secretorum Turcæ-Papisticis, imprimis ex *Joh. Jac. à Rusdorf* vindiciis causæ Palatinæ, passim usus interceptarum & editarum (quamvis inficiis & invitis epistolarum, istic allegatarum dominis) patescit; & sic ex aliis Principum, ac politiarum apologiis.

Petrus Martyr *class. 4. locor. cap. 16.* ex Hieronymo de optimo genere interpretandi ad Pammachium, refert, & quidem cum applausu (ut videtur), factum Theodosii, qui Hefychium virum consularem capitis damnâ-
 „rat, quod Patriarchæ Gamalielis chartas invasisset. Nec id, inquit, sanè
 „mirum fuit, quandoquidem apud Romanos, ut in D. habetur, De re mili-
 „tari L. omnes S. 2. & C. de commerciis & mercaturis L. 2. Revelasse cu-
 „juspiam secreta capitale fuit, Et in D. ad legem Juliam majestatis L. 1.
 „2. 3. qui munitionibus fidei suæ commissis cessisset, crimen læsæ majesta-
 „tis incurrerat.

IV. *Quæst. An exploratio sit proditio, & an eâ licitè quis uti possit?* Resp. Neg.

Neg. pr. & aff. poster. ex *Numer.* 13. v. 1. 2. Ejus necessitatem in regimine politico, & specialiter in bello gerendo, docent scriptores politici & artis militaris. Quod autem sæpe numero malè audiant exploratores, sit quod perperam confundantur cum proditoribus: cum tamen dolus malus, mendacium, proditio habeat se per accidens ad explorationem: & quod sine malis illis artibus exploratio, (in se & per se alioquin honesta,) à multis exploratoribus non peragatur. Peremptoria hæc ratio honestat, ita loquar, explorationem; quod Deus eam docuit & præcepit, *Numer.* 13. v. 1. 2. Atqui peccatum Deus docere & mandare non potest: quia non est autor & causa peccati sive moralis sive physica seu directæ.

V. *Quæst.* An delatio sit licita? *Resp.* Ut in malam partem communiter accipitur, non est licita; & merito exosa est delatio, & vituperantur *delatores*, Belgicè *aembjengers verclickers*. Qui & olim dicti *quadruplatores*, quod quartam bonorum acquirerent eorum, qui ab ipsis delati condemnabantur. Dicti etiam *sycophantæ*, qui calumniosè aut falso deferunt. Quales describit *Atheneus lib. 3. Dipnosoph. c. 1.* Alioquin, seposito usu vocis, honestè defert, qui debite aut accusat, aut denuntiat. Posterius officium Casuistæ Pontificii appellant denuntiationem, & modos ac conditiones ipsi determinant: & nos supra in *disf. de officiis caritatis erga proximum peccantem*; quæ etiam *Asectica nostræ cap. 24.* inserta est. Ex nostris *Aretius part. 2. problematum* delationem tanquam bonam sive accusantem sive denuntiantem explicuit, & multis probavit.

VI. *Quæst.* An perfidiâ & datam fidem non servare aliquo in casu (e. gr. data sit hæreticis aut rebellibus), honestari possit? *Resp.* Pontificiorum perpetua doctrina & praxis (quoties ita usu venit & fieri potest) affirmat. Sed postquam à nostris, jam potestate & potentia aliquâ instructis, hanc perfidam doctrinam ad animum revocari, & sibi exprobari viderunt, rebusque suis gerendis minime hoc opportunum animadvertunt, sophisticè ab hac maculâ se purgare studuerunt: Primus (quod sciam) ex professo hoc egit *Job. Molanus tract. de fide hæreticis servandâ*. Postea securi sunt Jesuitæ *Heribertus Rosweidus*, & *Becanus*, peculiaribus tractatibus. Sed frustra latorem illum lavârunt, nullo smegmate nullis Oceani undis purgandum: uti ostensum est à scriptore Representationis pacis generalis & subsequente defensionis Fœderatorum contra *Becanum* (quem ajunt fuisse nobil. & consultiss. Brederodium Fœderati Belgii ad sereniss. Electorem Palatinum & Protestantes Germaniæ Principes Legatum); & ab eximio theologo Riveto in comment. ad decalogum. Nolo hic actum agere: tantum loco spicilegii, suggero, validum & in primâ acie collocandum argumentum ex salvo conductu Concilii Tridentini sess. 15. 25. Januar. 1552. Protestantibus, & salvo

conductu *sess.* 18. Martii 14. anno 1562. Germanicæ nationi, & omnibus aliis nationibus à fide & communione Romanâ alienis dato, desumptum; „ubi dicunt: Insuper omni fraude & dolo exclusis, vera & bonâ fide pro. „mittit (*Synodus scil. Tridentina*), ipsam synodum nullam vel manifestè „vel occultè occasionem quæsituram, aut aliquâ autoritate, potentiâ, jure, „vel statuto, privilegio legum, vel canonum, aut quorumcunque concilio. „rum, præsertim *Constantiensis & Senensis*, quâcunque formâ verborum ex. „pressâ, in aliquod hujus fidei publicæ & plenissimæ assécurationis, ac pu. „blicæ & liberæ obedientiæ, ipsis per ipsam synodum concessè, præjudicium „quovis modo usuram, aut quenquam uti permissuram: *quibus in hac par. „te pro hac vice derogat.* Quomodo evidentius dici posset, esse hoc à Jure Pontificio seu canonico, & specialiter à Concilio Constantiensi (cujus decretum in margine ibidem assignatur *sess.* 19. *cap. Quod non obstantibus*) determinatum? In Concilio Pisano anno 1423. (*Pisani & Senensis concil. acta edita sunt Parisiis anno 1612.*) in decreto de approbatione processuum, &c. contra Hussitas hæreticos pag. 49. mandat extirpationem hæreticæ pravitatis; non obstantibus quibuscunque privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, *salvis conductibus*, à quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus, etiam Pontificali, imperiali, regali & ducali aut alia quâcunque ecclesiasticâ aut seculari præfulgeant dignitate, concessis vel concedendis.

Si forte hic exciperent, Concil. Tridentinum non asserere, tale quid de fide hæreticis non servandâ statutum fuisse in Conciliis *Pisano & Constantiensi*; sed referre solummodo sententiam Protestantium, qui putant & quâcunque occasione objiciunt à dictis Conciliis hoc decretum esse: Respondemus, quod si *Concilium Tridentinum* non tenuisset, à dictis conciliis hoc ita factum fuisse, non dixissent, *se in hac parte & pro hac vice prædictorum conciliorum statutis seu canonibus derogare, nec in præjudicium publicæ & plenissimæ assécurationis iisdem usurum, &c.* Ad minimum addidisset hanc similemve parentheticam cautelam, (quamvis revera jure aut canones ecclesiastici, præsertim istorum conciliorum, nihil tale statuerint. Adde quod à Riveto aliisque modo citati Canonistæ, Jureconsulti, theologi Papatus libris publice approbatis hanc tanquam ecclesiæ Romanæ sententiam proponunt ac tuentur: sine ullâ Papali, aut SS. Cardinal. congregationali, aut episcopali, aut conciliari, aut inquisitoriâ contradictione ac censurâ. Huic argumento accedat oraculum vivæ vocis ex ore Clementis VIII. excerptum 24. Januarii anno 1597. à Cardinale Ossato regis Galliarum Henrici IV. ad Pontificem Legato: qui *part. 1. epistolarum, epist. 87. ad Villeroy pag. 371. (edit. Paris. 1627. in 8.)* ita scribit:

„ Je dis donc à sa Sancteté dès l'entrée de mon audience ledit jour 24. Janvier, que

„que j'avois fait ce que sa Saincteté m'avoit commandé, ayant eserit au Roy
 „de l'Abbaye de saint Honorat en Provence, & de la pais : mais qu'en escri-
 „vant & considerant de plus près ce second point de la paix, la douté que
 „j'avois eüe tousiour auparavant m'estoit de nouveau accreüe, à sçavoir que
 „le Roy qui faisoit particuliere profession de tenir sa parole, ne pourroit si tost
 „se desueloper de ceste alliance, qui ne faisoit que venir d'estre renouvellee &
 „jurée. Le Pape me dit, que le serment avoit esté fait à un heretique, & que
 „sa Majesté avoit fait un autre serment à Dieu & à luy Pape; & puis adjonsta
 „ce qu'il m'avoit dit autresfois & en l'audience precedente, que les Roys & au-
 „tres Princes souverains se permettoient toutes choses qui tournoient à leur
 „proffit, & que la chose en estoit venue si avant, qu'on ne le leur imputoit point,
 „& ne leur en sçavoit on point de mauvais gré, & allegua un dire de Francesco
 „Maria Duc d'Urbain, qui souloit dire que si un simple Gentil-homme ou un
 „Seigneur non souverain manquoit de sa parole, il en seroit deshonoré & blasmé
 „d'un chacun, mais les Princes souverains, pour raison d'Estat, pouvoient sans
 „autre grand blasme faire des traictez & s'en départir, prendre des alliances
 „& les laisser, mentir, trahir, & toutes telles autres choses. Je n'avois que trop
 „à repliquer à tout cela, mais ie n'estimay me devoir arrester en un lieu si
 „glissant & si mal sentant; ains passant outre à ce que ie me proposois, &
 „neantmoins comme parlant sur son propos & sur l'occasion qu'il m'en donnoit,
 „je luy dis qu'il ne sembloit point utile au Roy ny a son Estat, de faire luy seul
 „une suspension d'armes pour long temps.

Ex Jureconsultis Grotius lib. 3. de Jure pacis & belli cap. 13. distinctè de-
 terminat fidem esse servandam hostibus quibusvis, prædonibus, tyrannis,
 desertoribus, servis, pyratibus, rebellibus, foedifragis, perfidis. Ibidem S. 14.
 & seqq. habet limitationes & exceptiones quasdam. Sed, in particularibus
 quibusdam hostibus *non dicitur* non ita sectatus est: quod Zieglerus non
 præterit; cujus notæ utiliter legi poterunt.

PROBLEMATATA ALIQUOT

AD IX. PRÆC. DECALOGI

Pars Tertia,

D E F A L S O.

Resp. LAURENTIO vander VEEN Buscoducensi 22. Decembr. 1655.

Haftenus problemata de vitiiis contra nonum præceptum, mendacio scil., simu-
 latione, dolo, æquivocatione, mentali restrictione: proximè sequitur Falsum.